



Disputatio juridica inauguralis de nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/345230>

DISPUTATIO JURIDICA
I N A U G U R A L I S,
D E

20.
N U P T I I S,
Q U A M,

FAVENTE NUPTIARUM INSTITUTORE,
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subiectis

P E T R U S M O N K, ULTRAJ.

Ad diem 28. AUGUST. hora locoque solitis.




TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Ioc XCIII.

28
DISPUTATIO JURISPRUDENTIAE
D. F.
OMNIBUS
JURISPRUDENTIAE
FAVENTE IMPERATORIS INSTITUTIONE
M. JOHANNIS LEUSDENI
Philosophiae Doctoris & Linguae Graecae in Illustri
Universitate Leydenensi Professoris Ordinarii
COLLEGIS MEIS

PRO GRADU DOCTORATUS
summius in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
his ac legitimis concessendis
P. E. R. S. M. O. N. K. U. L. T. I. M.
Add. diebus 28. August. anno 1709. Joann. Leusden.



Sacram volo

P. M O N K.

TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMAE, Academicæ
Typographi, c1709. xcm.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

N U P T I I S.

THESIS I.



Nuptiis operam daturum prius significationem vocis scire oportet: Nuptiæ enim vel dies festivos, quæ pompæ nuptiarum adhibebantur *l. 24. C. de nupt.* vel ipsum matrimonium, ut in hoc casu denotant. Sunt autem nuptiæ à nubendo dictæ, quia olim Puellæ

caput, pudoris gratia, solebant tegere, eoque modo in mariti domum ducebantur; unde apud plerisque auctores nomen nuptiarum mulieribus attribuitur, jurisconsulti vero hoc verbo sæpe promiscue utuntur.

II.

Nuptia sive matrimonium est viri & mulieris

A 2

CON-

4 DISPUTATIO JURIDICA

conjunctio, individuum vite consuetudinem continens §. 1. *Inf. de pat. pot.*, Conjunctio, animorum scilicet & corporum: nam alterutro deficiente, non potest dici consummatum matrimonium, quia principalis matrimonii finis est liberorum procreatio: unde inter eas personas, quæ naturâ ad generandum inhabiles sunt, nuptiæ non consistunt *l. 39. §. 1. de jnr. dot.*

I I I

Viri & mulieris, ex illis verbis colligitur, quod una tantum, neque plures uxores sint ducendæ, ad excludendam Polygamiam simultaneam; prohibitam legibus Divinis, naturali ac civili jure. Legibus Divinis, ex primo conjugio, quo duo jubentur in unam carnem conjungi *Gen. cap. 2. com. 24.* quæ verba Christus ipsi Deo tribuit *Matth. cap. 19. com. 4 & 5. Marc. cap. 10. comm. 11.* Naturali, quia mutuum conjugum amorem, quem singulares fovent nuptiæ, divellit, violatque fidem, qua alter alteri sese perpetua consuetudinis vitæ obligatione tradit. Civili, ut ducens plures uxores, non tantum fiat infamis, sed etiam pœna stupri puniatur *l. 2. Cod. de inc. nupt.*

Individuam, verbum hoc duplici modo sumitur, vel pro eo, quod nondum divisum est, ut in *leg. 32. §. 6. ff. de adm. & per. tut.* vel pro eo, quod dividi ne-

nequit, ut servitutes, obligationes &c. Utraque significatio huic loco convenit, ad exprimendam perpetuitatem vinculi conjugalis irruptam: nam eo animo nuptiæ contrahuntur, ut sola morte dirimantur: neque enim nuptiis facile renuntiare licet. Christiani non nisi ob graviores causas divortia permittunt *Novell. 117. c. 8. § 9.* Nam Christus docet nos, initio conjugium ita a Deo institutum esse, ut indissolubile esset *Matth. c. 19.*

V.

Vitæ consuetudinem continens, his verbis indicare voluisse videtur Justinianus, inter conjuges non tantum prosperæ, sed omnis fortunæ societatem iniri *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim.* hinc a Modestino appellatur *consortium omnis vitæ, Divini & humani juris communicatio l. 1. ff. de rit. nupt.*, in qua definitione eadem ambobus sacra esse colenda, uxorem sequi forum, dignitatem & domicilium mariti, docet *in l. 1. § 8. ff. de Senat.* sed hinc non infertur inter conjuges bonorum communio, qualis societas jure civili vi nuptiarum non contrahitur, *l. 1. §. 15. ff. ad senat. conf. silan. l. 8. Cod. de pact. conv.*, nisi aliud cautum sit pactis ante-nuptialibus *l. 16. §. ult. ff. de alim. leg.*

VI.

Justarum autem nuptiarum primum requisitum est, quod

6 DISPUTATIO JURADICA

quod contrahentes sint ciues Romani: seruorum enim conjunctio non connubium sed contubernium appellatur *l. 14. §. 3. de rit. nupt.* unde illorum conjuges non uxores, sed contubernales dicebantur *l. 4. §. 2. ff. de leg. 3.* quia serui jure Civili pro nullis habentur *l. 32. de reg. juris.* Peregrini vero suo non Romanorum jure contrahunt: verum discrimen inter Ciues Romanos & peregrinos, post *l. 17. ff. de stat. hom.* paruum habuit usum, jure nostro nullum. Sed cum qui deportantur jus civitatis amittant, *l. 10. §. 6. ff. de in jus vocan l. 17. ff. de pœn.* tamen matrimonium, semel legitime contractum, per deportationem non solvitur, *l. 5. §. 1. ff. de bon. damn.*

V I I.

Secundo ætas justa requiritur, scilicet quatuordecim annorum in masculis, duodecim in feminis *l. 4. ff. de rit. nupt.* quoniam in ea ætate apti creduntur ad generandum, & hoc Imperator vult dicere in *princ. h. t.* masculi quidem puberes, feminae autem viri potentes, seu nobiles, id est, quæ virum pati possunt *l. pen. ff. quand. dies leg.* olim sexagenarios cum mulieribus quinquagenarius nuptias contrahere vetitum fuit lege Julia, sed hæc sublata est per *leg. 27. C. h. t.*

V I I I.

Tertio desideratur consensus illorum, qui coeunt, cum is sit de sola substantia matrimonii *l. 2. ff. de rit. nup.* Nuptias enim consensus non concubitus facit *l. 30. ff. de*

ff. de reg. jur. Hinc sequitur, nec deductionem in domum, nec sacerdotalem benedictionem, nec alias solennitates Jure Civili requiri, ad substantiam matrimonii, *l. 6. ff. d. t. l. 22. C. b. t.* Itaque si error inter-
 venerit, qui consensum impedit: ex. gr. si quis Ti-
 tiam pro Mevia duxerit, talis error matrimonium vitiat
arg. l. 15. ff. de jurisd. l. 9. ff. de cont. empt. Nam quam-
 vis Jacobus Patriarcha Leam suppositam pro Rachele
 retinuit, *Gen. cap. 29.* non usus est suo jure: potuisset
 enim illam repudiasse: sed si quis erraverit in acciden-
 talibus veluti in forma, divitiis, iste error non vitiat
 matrimonium. Sed celebris quaestio est, circa virgini-
 tatem, si erratum sit, an impediat? Nonnulli Juris-
 consulti hunc errorem substantialem putant, & tunc
 inde sequeretur, eundem Nuptias reddere nullas,
 quod & Juri Divino conveniens esse videtur *Matth.*
cap. 1. comm. 18. & 19. Deutron. cap. 22. ubi non so-
 lum eo casu divortium admittitur, sed etiam capitali
 supplicio corrupta affici jubetur: Mero autem Jure
 Civili valent: *arg. l. 9. ff. de cont. empt. l. 11. eod. Novell.*
Leonis 93. Ideoque quia nihil tam consensui contra-
 rium quam vis & metus: *l. 116. de reg. jur.* Nuptiae
 justo metu initae, non subsistunt *l. 21. ff. de rit. nup.*
 Non metus reverentialis absque minis & verberibus
l. 12. ff. de spons. ergo si juvenis de nocte repertus in
 mulieris lecto, per patrem vel cognatos mulieris metu
 armorum coactus sit matrimonium contrahere, illud
 non valet *l. 134. de verb. oblig.*

Nunc videbimus quomodo dicitur in
 - ut mirumque dicitur, patrum natura, **IX. Con-**

Confensus parentum, aut quorum in potestate sunt, quodque tam necessario requiritur; cum hoc civilis & naturalis ratio suadeat *princ. Inst. b. t. l. 11 ff. de stat. hom. civilis*, ne patri invito agnoscatursuis hæres §: 7. *Inst. de adopt. Naturalis*, propter obsequium erga parentes *l. 2. ff. de just. & jure*. Ita ut consensus præcedat, neque ratihabitione patris retro legitimæ sunt Nuptiæ, quoniam ipso jure nullæ sunt, & ratihabitio in illis tantum locum habet, quæ aliquo modo consistere possunt: si itaque filius, sine consensu Nuptias contraxerit: nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur, sic ut liberi, ante consensum parentum nati, habeantur pro spuris *l. 11 ff. de stat. hom. l. 65. D. de rit. nupt.* Sed sufficit tacitus parentum consensus, si sciant nec contradicant *l. 5. C. b. t.* & in hoc casu hæc regula, qui tacet, consentire videtur, vera est. Nisi pater furiosus sit, cum consensus curatoris patris tum sufficiat: vel absens fuerit, quo casu triennium expectandum *l. 9. §. 1. & l. 10. ff. de rit. nupt.* cum autem parentes liberis sine justa causa consensum denegent, à Magistratu cogi possunt, ut liberos in honestum matrimonium collocent atque dorent. *l. 19. ff. de rit. nupt.*

X

Nunc videndum quarum personarum Nuptiæ sint prohibitiæ, quæ prohibitio partim natura, partim jure

re contingit, natura prohibentur castrati propter perpetuam impotentiam generandi §. 9. *Inst. de adopt.* Spadones, qui curari possunt, non prohibentur: l. 39. §. 1. *ff. de jur. dot.* ut & furiosi, nisi habeant dilucida intervalla l. 8. *ff. de his qui sunt sui vel ab. jur.*

X I

Jure prohibentur cognationis, affinitatis, honestatis, Religionis & publicæ potestatis causa.

X I I

Quod ad cognationem attinet, illa est vel vera vel ficta. Vera quæ ex sanguinis propagatione oritur, ficta ex adoptione. Ob veram cognationem inter ascendentes & descendentes Nuptiæ in infinitum prohibentur: §. 1. *Inst. h. t. l. 53. §. 55. ff. de rit. Nupt.* quæ Nuptiæ vocantur incestæ ac nefariæ, quasi de iis dari non liceat, propter conjunctionis turpitudinem §. 1. *Inst. d. t.* Inter collaterales prohibentur in secundo & tertio gradu; ita ut fratrum & sororum liberi recte conjungantur: §. 4. *Inst. de nupt. l. 19. Cod. eod.* In ficta cognatione etiam ascendentes & descendentes inter se Nuptias contrahere illicitum est, ne quidem dissoluta adoptione §. 1. *Inst. de nup. l. 55. ff. de rit. nupt.* sed fratribus & sororibus, aliisque, qui sibi parentum liberorumve loco non sunt, permittitur, extincta adoptione §. 2. *Inst. dict. tit.*

XIII.

Affinitatis causa quoque à quarundam Nuptiis abstinere necesse est §. 6. *Inst. h. t.* *Affinitas autem est necessitudo inter conjugem & alterius conjugis cognatos l. 4. §. 3. & 4. ff. de grad.* & quamvis proprie non dentur gradus affinitatis, quia affines ab affinibus non generantur l. 4. §. 5. *ff. dict. tit.* Imperator tamen quosdam quasi gradus agnoscit l. 10. *ead.* ideoque eadem ratione prohibuit inter affines, qua inter cognatos, si nempe inter se parentum aut liberorum locum obtinent §. 6. *Inst. de nupt.* Comprivigni vero cum sororibus comprivignis recte contrahunt §. 8. *Inst. eod.* quamvis habeant fratrem vel sororem ex matrimonio postea contracto natos d. §. 8. *Inst.*

XIV.

Honestatis ratione prohibetur quis ducere, quæ damnata est adulterii, vel nubere adultero l. 29. §. 1. *ff. ad leg. Jul. d. adul.* nam non solum quid licitum, sed & quid honestum sit, ponderandum. Nec raptor raptam ducere potest l. un. *Cod. de rap. virg.*

XV.

Ob religionem Judæus cum Christiana conjungi non potest l. 6. *C. de Jud.*

XVI.

Ob publicam potestatem interdicitur matrimonium præsidibus provinciarum & eorum liberis, cum provincialibus *l. 38. de rit. nupt.*

XVII.

Nunc videamus poenam, & primum eorum, qui Nuptias sine consensu parentum contrahunt, & ut ante diximus ex illo coitu nascuntur spurii, quasi sine patre: *l. 23. d. stat. hom.* sed matris conditionem omnimodo sequuntur *l. 19. ff. d. t.* & si quis alias incestas Nuptias contraxerit, pro qualitate delicti punitur *l. ult. ff. de rit. nupt.*

XVIII.

Hactenus vidimus quid sint Nuptiæ, quomodo, & inter quas personas contrahantur, quænam sint prohibitæ, etiam poenam eorum, qui contra leges coeunt, nunc restat videamus, an nunquam ob rationes dissolvatur; & solvitur morte vel divortio *l. 1. ff. de div. morte naturali*, quæ est separatio animi à corpore, quam naturalem mortem imitatur civilis, Justiniani jure: *Novell. 22. cap. 9.* De divortis non dicam, (nisi quod moribus tantum ob adulterium & malitiosam desertionem permessa sint) quia nec chartæ nec temporis patitur angustia.

COROLLARIA.

I.

Mulier Senat. Vellejano renuntiare potest.

II.

Venditor ad precisam rei traditionem cogi non potest.

III.

Deductio Sponse in domum mariti non est de substantia matrimonii.

IV.

Maritus est dominus dotis.

V.

Contractus in testamento celebrari nequit.

VI.

Falsa demonstratio non nocet legato.

F I N I S.